



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput XI. Crucifixio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

lis ? non vis autem fel bibere. Scio autem sitire te, licet inebrieris ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis poteris. Si velim flendo offerre tibi lacrymas; vereor ne audiam quod mulieres illæ; *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Quomodo? Propter Lazarum mortuum lacrymatus est Jesus, & non licebit mihi lacrymari propter moriturum pro me JESUM? *Tu eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lacrymis:* & non licebit mihi propter te lacrymari? *Lacrymis meis stratum meum rigabo; & quia inveni gratiam in oculis tuis, oculi mei deducunt exitus aquarum.* Hæ lacrymæ, scio, dulciores tibi sunt super mel & favum. Denique audebo hîc idem loqui, quod tuus Prophetæ: *Inebriabo te lacrymâ meâ;* donec abstergas omnem lacrymam ab oculis meis.

Luc. 23.  
28.

Pf. 114. 3

Pf. 6. 7.  
Esther.

7. 3.

Isa. 19. 7.

## C A P U T XI.

### Christus in Cruce.

#### §. I.

#### *Inclinat se Christus in Crucem.*

**A**derat tandem tempus, quo Christus, qui à xxxiii. annis conceptus de Spiritu sancto, inclinaverat cælos, & descenderat, postquam ascenderat montem, inclinaret se in Crucem: ut qui Patri fuerat obediens ab utero Matris, sit eidem obediens usque ad mortem Crucis. Intuitus Crucem, instrumentum dicam crudelitatis humanæ, an pietatis divinæ? exultabat spiritus ejus, sciens quia post tres horas esset traditurus in ea spiritum in

Sap. 14.7

Serm. 4.  
de Pass.Crucis  
digni-  
tas.

2. l. ep. 15.

manus Patris, ut nos eriperet è manu dæmonis. O felix lignum, per quod acquiritur regnum! Si benedictum est lignum per quod fit iustitia; quanto magis hoc lignum, per quod fit misericordia? De hoc ligno egregiè D. Leo: *De instrumento quod iniquitas Iudaorum paravit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam.* Voluit sponsus noster, antequam cubaret in meridie amoris sui (ed enim jam sol iustitiæ in suo curriculo pervenerat) totum corpus denudari, ut amoris ardorem intemperantiùs æstuantem afflantis aëris frigore temperaret. Quot hîc corporis habant vulnera, tot & amoris patebant ostia, per quæ columbæ seductæ, non habentes cor, poterant intrare in cavernam maceriæ, cor sponsi, cubile, inquam, misericordiæ. Tum desiderio desiderans extendi in cruce priùs toto corpore pronus inclinavit se, & osculatus est eam. O Crux digna mille honorari osculis, dignissima omnium constringi amplexibus! Ad te anhelare, est pietas; te ferre, est gloria; in te mori, est salus. Præclare de Cruce D Hieronymus: *Solitudinem patitur & in urbe Gentilitas: Dij quondam nationum cum bubonibus & noctuis in solis culminibus remanserunt: vexilla militum insignia sunt; Regum purpuræ, & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat.* Ita ipse. Jam totus mundus crucem honorat & adorat. Crucem milites gestant in armis, significari expriment in vexillis, victores appendunt in trophæis, Reges figunt in solis, Cæsares gestant in coronis, Pontifices portant in tiaris. Crux fulget in pontibus, in compitis, in curribus, in portis urbium, in mœnibus arcium, in ostiis ædium, in turribus Principum, in pinnis templorum, in fastigiis pyramidum. Omnis pompa mundi sub-

mittit

mittit se humilitati hujus ligni. Sed quid crucem tantoperè extollis, quam tibi horror est tollere? Si tibi crux tantopere placet, libenter tolera quidquid tibi displicet, & cruce gaudes. Quid accidit contra votum, vel præter desiderium, crux est. Hoc ergò cogita in omni re adversa. Hic morbus, hæc pecuniæ vel famæ jactura; hoc damnum, hæc contumelia, hæc injuria, hæc afflictio in arcano SS. Trinitatis concilio, ab infinita Dei Sapientia fuit excogitata, à Potentia immissa, à Bonitate approbata: tanquam certissimum instrumentum & præsidium salutis meæ. Quòd si consulas Dei Matrem, si Apostolos, si Ecclesiæ Doctores, si Martyres, si omnes novem Angelorum Choros, si Divos omnes in cœlis, una erit omnium vox: *Expedi tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm ut totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Expedi tibi ut pereat tua fama, valetudo, honor, pecunia, quàm anima. Clamat quidem caro infirma: hoc salutem meam impedit. Reclamat spiritus promptus: hoc ad salutem expedit. Hæc tua crux, hæc adversitas, est Deo ad gloriam, tibi ad salutem, Angelis ad gaudium, dæmoni ad ignominiam, hominibus ad exemplum. Hæc crux tibi aperiet cœlos, claudet inferos, liberabit à peccato, augebit merita, texet tibi coronam. Sed quis mihi hanc crucem, quâ tot bona consequar, fabricabitur, nisi tu Christe, fabri fili? *Tu fabricatus es auroram, & solem,* fabricare & mihi crucem: illam, inquam, crucem, cujus latitudo est charitas, cujus longitudo est æternitas, cujus sublimitas est omnipotentia, cujus profundum est inscrutabilis sapientia. Hac cruce perfectâ clamabo contra me quod Judæi contra te. *Tolle, crucifige. Crucifige carnem cum vitis & con-*

Adver-  
si ra est  
crux ho-  
mini, id-  
eò li-  
benter  
perfe-  
renda.

Matt. 5,  
29.

Pf. 73. 16

Gal. 5. 24

- Col. 3. 9. *cupiscit adversus spiritum, crucifige veterem hominem cum actibus suis; reus est mortis: hunc enim inveni repugnantem legi mentis mee, & captivantem me in lege peccati. Crucifige me, quia homicida sum; odium te fratrem meum. Qui autem odit fratrem suum homicida est. Et quod majus odium, quàm rursùm te crucifigere mihi metipsi? Sic denique me hominem, de terra terrenum, crucifige, ut tecum confixus cruce, tecum sim consors regni.*

## §. II.

*Infiguntur clavi.*

- Vers. 17. **J**esu, fili David recordare quod Davidi dictaveris, cum ipse Psalmum 21. exararet; nimirum: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & diriverunt omnia ossa mea.* Ecce nunc tempus illud acceptabile quidem nobis, sed triste tibi advenit. Ecce clavi, ecce mallei, ecce carnifices. Sed priusquam inclines in crucem, leva in circuitu oculos tuos, & vide non procul distitam parvulam Bethlehem. Recordare, quia illic nudus egressus es de utero Matris, & hinc nudus redieris ad sinum Patris. Mollius illic jacebas in fœno, quàm hic in ligno. Sed age, si Filius Dei es, non dicam, descende de Cruce, sed recumbe in Crucem, quia in Cruce tuâ est vita, salus, & resurrectio nostra. Eja Jesu, jace in lecto doloris, ut magnus ille, qui jacet in mundo paralyticus, surgat, & tollat grabatum suum, imò tollat & grabatum tuum. Iesus ergo sciens, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, humiliavit se in Crucem. Vix se prostraverat in lignum is, qui elevat omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos; cum ecce
- IOAN. 11. 1.
- Ps. 144.

extendit, & aperit manum suam; qua implet omne ani-  
 mal benedictione. Primùm extendit dexteram, ut  
 errantes in viam arctam, quæ ducit ad vitam,  
 manu ducat: deinde sinistram, ut servos peccati è  
 domo servitutis, in libertatem filiorum Dei ma-  
 numittat. Extentas manus carnifices trabalibus  
 clavis profodiunt, fodientes foveam, in quam ip-  
 si inciderunt, & inde thesaurum nobis effodien-  
 tes non deficientem in cœlis. Desine tandem  
 nunc peccator proferre excusationes in pecca-  
 tis, & dicere cum villico iniquitatis fodere non va-  
 leo. Arguent te mendacii illa verba Veritatis: Fo-  
 derunt manus meas & pedes meos. Ut porrò acerbior  
 esset dolor, obtulis usi sunt carnifices clavis: sini-  
 stra verò manus, cùm ad foramen pertingere  
 non posset, funibus sic extensa est, ut nervi om-  
 nes, ac venæ difrumperentur. Tam atrox porrò  
 fuit hæc membrorum extensio, ac tam violenta,  
 ut ossa singula suis sedibus dimota, atque divul-  
 sa, numerari potuerint. Dinumeraverunt ossa mea.  
 Erigunt deindè nervosos lacertos immanes car-  
 nifices, & extendunt manum ut vasto malleo  
 clavos infigant. Ubi es, ô Pater æterne? Cùm A-  
 braham extenderet manum, & arriperet gla-  
 dium, ut immolaret filium suum unigenitum,  
 quem diligebat, Isaac; misisti Angelum de cœlo  
 clamantem: Non extendat manum tuam super pue-  
 rum. Et ecce plus quàm Isaac hic: est enim Filius  
 tuus unigenitus, & dilectus, in quo tibi benè  
 complacuisti. Jam carnifex extendit manum  
 suam, & arripuit malleum ut percutiat, cur non  
 mittis Angelum? Sed audio Christum tacitè re-  
 spondentem: An putas, quin non possum rogare Pa-  
 trem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duode-  
 cim legiones Angelorum? Quomodo ergò implebuntur

Ps. 144.

16.

Eckius  
 tract. de  
 Pass. c. 5.  
 Confid. 30

Ps. 21.

Gen. 22.

12.

Matt. 26.

53.

Scriptura, quia sic oportet fieri? Si ergo sic oportet fieri, fiat, Jesu, voluntas tua. Interim sic prostrato in Crucem Filio Dei, totus mons Calvariae perstrepsit sonitu malleorum. Mediam horam circiter saevo huic impenderunt operi operarii iniquitatis. Tunc, credo, impletum est illud, quod in sua Apocalypsi postea scripsit D. Joannes: *Factum est silentium in caelo, quasi media hora.* Quia teste Ecclesiaste, *Vox mallei innovat aurem.* Hoc est, aeterni Patris aurem, cui malleorum, & clavorum sonus novus accidit; quia tota aeternitate nunquam antea auditus est talis sonus. Ascendebat hic sonus ad Angelos, Archangelos, Virtutes, illi attoniti tam peregrino sonitu, silebant: Penetrabat ad alias Hierarchias, Thronos, Cherubinos, Seraphinos, & ipsi silent. Antea in caelo audiebatur vox, teste D. Joanne: *sicut Citharadum citharizantium in citharis suis*: sed ad sonitum malleorum factum est silentium in caelo. Hic sonitus malleorum excedebat omne melos Angelorum. Haec erat symphonia quae oblectabat Patrem, placabat justitiam, provocabat misericordiam. Ad illum sonitum commota est, & contremuit terra: *fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt.* Tunc ulularunt daemones, quia ad sonitum illum malleorum *confractus est* (ait Jeremias) *& contritus malleus universa terra.* Hoc est: Lucifer jacet nunc velut exanimis ad pedem Crucis. Bene est: tandem Christus confixus est cruci. Sed ego inimicus Crucis Christi, totus paveo, horreo, contremisco. Si Christum oportuit pati, & ita intrare in regnum suum; quid mihi fiet, qui nec quidquam facio boni; nec quidquam patior mali? O quantum disconveniunt, Christus in duro ligno, Christianus in molli lecto! Christus inter spinas, Christi-

Luc. 14.

27.

Apoc. 8. 1.

Ecc. 3. 18.

Apoc. 14.

2.

Ps. 17. 8.

Jerem. 50

Luc. 24.

26.

Christi-

stianus inter rosas : Christus dolet ad sonitum mallei, Christianus gaudet ad sonitum organi. O Christiane, hic non est spiritus Christi ! Audi ergo Paulum, & contremisce ad ejus oraculum : *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Non est habere spiritum Christi, vivere tam difformem vitæ Christi. Non est habere spiritum Christi, vivere secundum carnem. Et si secundum carnem vixeritis, moriemini. Ne moriat vivendo secundum carnem, cupio affigi in crucem. Illic spiritu facta carnis mortificabo : Scio enim, si commortui sumus, & convivemus.*

Rom. 8. 9

Rom. 8.

13.

2. Tim. 2.

12.

## §. III.

*Crux in altum elevatur.*

**J**acet adhuc in humili solo auctor vitæ, triumphator mortis : & ne crucem suæ instrumentum victoriæ amittat, aut ne quis è manibus extorqueat, per fossis manibus voluit in ea configi. Sed undè tibi Christe tantus in hunc infamem truncum affectus ? Cur potius voluisti mori in brachiis Crucis, quàm in amplexibus Matris ? Cur potius in trabe aspera, & indolata, quàm in molli strato, aut plumeo thoro ? Cur potius exspirare voluisti inter duos latrones, quàm duos Seraphinos ? Nimirùm exemplo suo hoc verissimum esse probat, quòd postea oraculo docuit Paulus : *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat Sapientes : & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit, ut ea quæ sunt, destrueret.* Quid sapientius omnium Philosophorum scientiâ, Politicorum prudentiâ, Scribarum peritiâ, Phariseorum astutiâ, Syn-

1. Cor. I.

27.

Crucis

trium-

phus.

nago.

Rom. II.

33.

nagogæ doctrinâ? Quid potentius summorum Principum opibus, militum robore, Judicum minis, Regum arrogantia, Tyrannorum sævitâ, Cæsarum magnificentiâ? Quid contrâ ignobilius, quid infirmius, quid contemptibilis, abjecto arboris trunco, nodoso stipite, cariosæ trabis fragmento; uno verbo, Cruce? In qua quisquis pendebat, habebatur maledictus. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Quod erat in universo mundo maximè abjectum, humile, vile, contemptibile, ignobile, crucis lignum, elegit tanquam instrumentum, quo & Sophorum scientiam, & Judæorum sapientiam, & Gentilium prudentiam, & Regum potentiam, & mundi totius fastum, arrogantiam, pompam; quo dæmonum robur, tartarorum vires omnes, & quidquid denique vel in mundo magnum, vel in orco formidandum, vel usquam ultimum, confudit, delevit, evertit, confregit, debellavit. Sed dum ego Christi crucem effero laudibus, Christus crucifixus exaltatur à militibus. Tunc verè signum magnum apparuit, non in cælo, sed in terra. Signum hoc, Crucis est lignum: signum fœderis inter Deum & homines; signum, cui contradicetur, & cui contradictum est. Nunc in alto illo triumphabat ligno, velut in laureata quadriga, magni illius operis sibi à Patre impositi consummator, cum indè totius mundi spectator, simul & spectaculum factus, cœpit illius imperium oculis metiri, & animo inter suos partiri. Vultu conversus erat ad Occidentem Oriens ex alto, videlicet ad sponsam suam Ecclesiam, quæ in Europa maximum erat obtentura dominatum. Dorso ad Orientem, sive Asiam,

in

in qua jam deficiebat Synagoga: occidebat scilicet Sol iustitiæ supra injustitiam Jerosolymæ. Sinistrâ manu Meridiem, sive Africam; dexterâ Septentrionem, sive Armeniam & Persidem complectebatur. Nunc Cruce in altam scrobem demissâ, ac in altum erectâ, clamat ex alto æternus Pater, quod olim ad Moysen: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Non dicit tantum, aspice, nimirum extimam duntaxat corporis formam; hîc enim nihil videbis nisi humanum; sed *inspice* intima penetralia animæ adytâ; hîc nihil invenies nisi divinum. Aspice corpus, & videbis, quia à *planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Inspice pectus, & invenies quia in toto corde non est nisi charitas. Aspice caput, & non invenies nisi aculeatas spinas, & immanes plagas, & dices: *verè Filius hominis non habuit ubi caput reclinet.* Inspice caput, & clamabis: *Caput ejus aurum optimum.* Aspice faciem, & videbis eam lividam, luridam, deformem, & dices: *Non est species ei, neque decor, & quasi absconditus vultus ejus.* Inspice faciem, & videbis quia ibi latet *Candor lucis æterna, splendor gloria, & figura substantia ejus,* & dices quod Esther de Assuero: *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei. Valdè mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum,* Denique aspice Christum, & videbis eum quasi *leprosum, despectum, & novissimum virorum;* & dices: *Vermis est, & non homo.* Inspice, & clamabis cum Thoma: *Dominus meus, & Deus meus!* O Domine, sive te aspiciam, sive inspiciam, *omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Quis similis tibi in dolore corporis, quis similis tibi in amore cordis? Domine, quis similis tibi in abjectione, quis similis in majestate? Quis similis in infirmitate, quis*

Exod. 25.

40.

Oportet

Chri-

stum a-

spicere

&amp; inspi-

cere.

Isa. 1. 6.

Matt. 8.

20.

Cant. 5. 1.

Isa. 53. 2.

&amp; 3.

Sap. 7. 26

Hebr. 1. 3.

Esth. 15.

16.

Isa. 5. 30.

Ps. 21. 67.

Ioan. 20.

28.

Ps. 34.

10.

Cant. 4. 3  
Exod. 3.

quis similis in infirmitate, quis similis in potestate? Quis similis in paupertate, quis similis in divitiis? Quis similis in ignominia, quis similis in gloria? *Vadam ergo ad montem myrrhe, & videbo visionem hanc magnam. Respiciam in faciem Christi mei, & inspiciam, & faciam secundum exemplar, quod mihi in monte monstratum est, ut tecum patiens, & moriens in monte Calvaria, tecum in monte Oliveti ascendam ad coelos: ibi tandem te aspiciens & inspiciens, aspiciens humanitatem, inspiciens divinitatem, clamabit tota æternitate anima mea, & omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi.*

## C A P U T XII.

### Crucifixio.

#### §. I.

*Pendet medius inter latrones.*

**F**ilius Dei, qui medius est inter Patrem & Spiritum sanctum, operans salutem nostram in medio terræ, noluit mori nisi in medio duorum latronum. Hoc est quod asserit Evangelista:

Luc. 23.

33.

Ioan. 21.

18.

*Ibi crucifixerunt eum & duos latrones: unum à dextris, & alterum à sinistris, medium autem Iesum.*

Hic verè in medio consistit virtus, dum pendet in medio latronum, mundi salus. Factum id sive Præsidis imperio, sive Judæorum consilio, ut Christi innocentia opprimeretur, nec spectatores dubitarent, eum esse reum criminis, atque  
adeò